



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Lerna Malorum Omnium; Sive Gravitas, Et Damna Peccati Mortalis

Arias, Francisco

Monachii, 1648

Cap. IV. De consensu, qui ad peccatum mortale necessarius est.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46756](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46756)

De consensu, qui ad peccatum mortale
necessarius est.

C A P. I V.

VNum ex punctis maximi momen-
ti, summæque in hac materiâ ne-
cessarijs est, scire, quis consensus ne-
cessarius sit, & quæ deliberatio suffi-
ciens ad committendum mortale pec-
catum, & quomodo hunc consensum
cognoscere potuimus; siquidem mul-
tæ culpæ, quæ naturâ suâ graves, mor-
talésque sunt, propter consensûs ac
deliberationis defectum non sunt gra-
ves, neque mortales, sed leues, & ve-
niales: atque hoc est, quod iam decla-
rabimus. *a* Subiectum principale pec-
cati mortalis est voluntas, quæ etiam
liberum arbitrium vocatur: hîc (in
voluntate) fabricatur, & committitur
culpa, & hinc exeunt omnes actus, o-
perationésque liberæ, tam eæ, quas
ipsa voluntas producit, quæque in
ipsâ manent, quàm illæ, quas produ-
cunt aliæ potentiæ exteriores, quæ vo-
lun-

a D. Th. 1. 2. q. 74. a. 1. 2.

luntati obediunt, eiusq; imperio sub-
sunt. Ipsa radix est, & fons libertatis,
omniúmque liberarum actionum. Ve-
rùm est, etiam in ratione, & intellectu
reperiri peccatum; vt quando homo
errat in cognitione alicuius veritatis,
quam poterat, ac tenebatur scire, &
per suam negligentiam nescit, aut ma-
lè de eâ sentit, credens aliquid, vel ha-
bens opinionem contrariam veritati:
& sic per rationem peccant ij, qui ne-
sciunt res ad salutem necessarias, qui-
que credunt errorem aliquem contra
Fidem, aut contra bonos mores. *a* Ca-
dit quoque culpa in rationem, quate-
nus regit actus, & operationes aliarum
potentiarum, easque mouet ad produ-
cendas inordinatas passiones, & mala
opera, vel illas non impedit, cum pos-
set, ac deberet id facere. Verùm hæc
peccata, quæ sunt in ratione, & intel-
lectu, tanquam in proximo subiecto,
procedunt & ipsa à voluntate, quæ
mo-

*a D. Th. 2. 2. q. 10 art. 2. 1. 2. q. 74. a. 1. c.
3. 2. sent. de 20 De verit. q. 25.*

mouet intellectum, cum eoque consentit; & sic ratio subiectum est, & causa horum peccatorum, quatenus participat de libertate voluntatis, in quâ, tanquam in causâ, & subiecto primo, sunt omnia peccata. Verum item est, in parte sensitiuâ quædam peccata esse, vt malas imaginationes, inordinatos iræ, tristitiæ, inanis gloriæ, timoris superflui motus, & quasdam rerum illicitarum delectationes: Sed hæc quoque peccata à voluntate procedunt, siue quia producit ea in parte sensitiuâ, siue quia per Dæmonis astutiam, vel per naturæ corruptionem producta, cum possit, non reprimat, aut cum debitâ diligentiam, vt ipsa impediât, non præuenit; adeoque sunt peccata voluntaria, in sensualitate sita, quatenus de ratione participant. Atque hi sunt illi, qui vocantur *motus primi*, seu primæ motiones, in quibus, quocumque modo generentur, nisi sit voluntas, quæ eas mouerit, aut motas, cum possit, non repulerit, ac refrænârit,

nul-

nullum est peccatum, imò ingens in
 repellendis ijs, reprimendisque meri-
 tum est. Ita fatentur Sancti, ac præser-
 tim S. Augustinus, dicens: *a* Si illa
 concupiscentialis inobedientia, que adhuc
 in membris moribundis habitat, præter na-
 tura voluntatis legem, quasi lege sua, mo-
 uetur; quanto magis absque culpâ est in
 corpore non consentientis, si absque culpâ
 est in corpore dormientis? Ratio huius
 veritatis est, quia de essentiâ peccati
 est, ut sit voluntarium; & quemadmo-
 dum idem S. Augustinus ait, *b* usq[ue]
 adeò peccatum voluntarium malum est,
 ut nullo modo sit peccatum, si non sit volun-
 tarium; utque peccatum sit, procede-
 re debet à liberâ voluntate, quæ cum
 posset non peccare, voluit peccare. Et
 loquens de primi hominis peccato, ho-
 mo, inquit, sponte peccavit, sed sponte
 damnatus est: peccatum fuit spontaneum,

sed
a D. Aug. l. 1. de Civ. Dei. c. 25. l. 1. retr.
 cap. 13. D. Ambros. de fugâ sec. cap. 1. D.
 Greg. l. 6. mor. cap. 16. *b* D. Aug. l. 83.
 q. 9. 67.

sed non peccati poena. a Et S. Chryso-
stomus hanc libertatē, qua primi ho-
mines peccarunt, diuinē ex ipsis, quæ
dixerunt, verbis probat. Examinatus
enim Adam à Deo, quare comedisset,
respondit: *Mulier, quam dedisti mihi:*
sociam, ipsa mihi dedit de ligno, & comē-
di. Non dixit: *Mulier coëgit me, & vin-*
mihi attulit, sed solūm: *mihi de fructu*
dedit, & ego meapte voluntate, quō-
que prosequer bar illam, amore motus,
accepi, & comēdi. Et mulier interro-
gata, cur rem tam malam fecisset, co-
medendo ipsa, & viro, vt & ipse co-
mederet, præbendo, respondit: *Ser-*
pens decepit me. Non dixit: *Coëgit me*
ad comedendum, & vim fecit; sed ma-
lum, ac fraudulentum mihi *consilium*
dedit. quo inducta comēdi, & cum in-
meā esset potestate malum eius consi-
lium non acceptare, credidi illi, & ob-
temperavi. Sic primi homines confessi
sunt, sponte se, & voluntariē peccasse.
Et de omnibus alijs peccatoribus idem

San-

a. D. Chr. in Gen. c. 3. hom. 17.

Sanctus hanc liberam voluntatem, quâ peccant, ostendit ex illis S. Pauli verbis ad Romanos: *a ijs verò, qui sunt contentiosi, & qui veritati quidem non obtemperant credendo, iuxtaque eam operando, sed credunt, & parent iniustitia, his in diuino iudicio ira, & indignatio, id est, æternum diuinæ iustitiæ supplicium inflgetur.* Ostendit autem sic dicens: *Non dicit S. Paulus illos à vi aliquâ, ac tyrannide ad peccandum cogi, sed iniustitia, & iniquitati parere; ut intelligas voluntatis liberæ lapsam esse, non necessitatis crimen.* Præter hanc liberam voluntatē, quæ ad quodlibet peccatum, quamuis minimum, necessaria est, requiritur ad peccatum mortale plenus, ac deliberatus consensus; ita vt ad mortale peccatum non sufficiat quæuis voluntas, & quæuis deliberatio imperfecta, & iudicium imperfectum, sicuti ad peccatum veniale sufficit, sed necessarium sit integrum iudicium, & plena, perfectaque

intel- 15. ar

a D. Chr. Ad Rom. 2. Serm. 5.

De gravitate peccati mortalis. 37

intellectus deliberatio, & consensus voluntatis. *a* Ad intellectum pertinet iudicare, consultare, & deliberare, an illud, quod facturus est, bonum, an malum sit, vel an id facturus sit, an omissurus; & ad voluntatem pertinet consentire, applicando se ad id, quod ille iudicavit, & deliberavit; adeoque consensus est actus voluntatis, quæ sequitur iudicium, ac deliberationem rationis, & intellectus. *b* Hoc iudicium plenum, & hæc perfecta deliberatio, quæ ad peccatum mortale requiritur, hoc postulat, ut priusquam homo peccato mortali consentiat, præcesserit in intellectu aliqua cogitatio, & consideratio actualis, plena, & expressa, esse in eo, quod facturus est, aliquam malitiam, vel aliquod eius periculum; aut ut præcedat aliquod dubium, vel remorsus, vel timor, ne quid

a D. Th. 1. 2. q. 14. a. 1. q. 74. a. 7. ad 1.

b D. Th. 1. 2. q. 88. a. 5. ad 2. De verit. q. 15. art. 4. Alexand. p. 2. q. 108. memb. 7.

quid mali insit. *a* Ratio huius est, quia ad hoc, ut consuletur, iudiceturque de aliquâ re, & de eâdem deliberetur, necesse est præcedere in animâ aliquod principium, quod talis consultationis, ac deliberationis causa sit, ad eamque moueat: & hoc principium aliud esse non potest, quàm cogitatio aliqua, vel consideratio talis rei. Et si iudicium, ac deliberatio esse debeat ad faciendum aliquod peccatum mortale, debet in animâ præcedere aliqua cogitatio, quâ videat, aut timeat, ne quod in eâ re peccatum, vel illius periculum sit, vel esse possit. Et nisi hoc in animâ præcedat circa illud peccatum, vel circa aliud, quod illius causa extiterit, non potest homo dici plenû iudicium, perfectamque deliberationem ad peccandum habuisse, nec, cum eam habere posset, suâ culpâ non habuisse. Sed si præcedente in animâ hac cogitatione, considerationeque plenâ, & ex-

pres-
a D Bonau. 2. d. 29. in textu. Caiet.
 1. 2. quæst. 6. art. 8.

presâ, quâ id potuerit iudicare, & perfectè super eo, quod erat facturûs, deliberare, id suâ negligentia non fecit, tunc voluntate in peccatum mortale consensit, excusationem non habet; quia si iudicium, deliberationemque, cum commodissimè posset, non fecit, ipsius culpa fuit. At si talis circa peccati malitiam consideratio non præcessit, certum est, non potuisse plenam esse deliberationem, neque plenum, & deliberatum esse consensum, adeoque à peccato mortali excusari; quia, uti diximus, ut consensus peccatum mortale sit, debet esse cum plenâ rationis deliberatione.

a Hic consensus, ut sufficiens sit ad mortale peccatum, debet esse expressus, ut quando voluntas producit actû positivum, quo vult opus, quod peccatum mortale est; vel debet esse æquivalens, quem *interpretativum* dicimus;

C
a *D. Tb. 1. 2. q. 74. a. 8. Caiet. ibi. & verbo Delectatio, D. Anton. p. 2. tit. 8. cap. 1. §. 5.*

mus; qualis est, quando homo considerans, valdeque bene aduertens, se in parte sensitiuâ, vel voluntate delectari de aliquo opere, quod est mortale peccatum, non repellit illam delectationem, nec reprimit, nec eius displicentiâ habet, sed ipsam relinquit, nec vllum displicentiæ, & repugnantiam actum, cum facile posset, contra eam exercet; tunc enim tantumdem est, ac si illam actualiter vellet; adeoque consensus sufficiens est ad peccatum mortale. ^a At si postquam aduertit, studeret abigere illam delectationem bonâ aliquâ consideratione, vel oratione, vel doleret ipsi, displiceretque eam habere, licet hoc non cum debita celeritate, ac diligentia faceret, non esset mortale peccatum; nam in tali casu non posset is verè dici delectationem voluisse, siquidem hæc illi displicuit, vel ipse aliquam diligentiam ad repellendam eam adhibuit; neque vo-

^a D. Aug. l. 12. de Trin. cap. 4. D. Th. 1. 2. q. 9. 74. 4. 7. D. Bonau. 2. de 24.

luntas consentit, nisi in res, quæ ei placent. Hinc colligitur, non posse cadere consensum sufficientem ad peccatum mortale in rationem inferiorem, quæ est illa portio, & pars intellectiva animæ, quæ iudicat, delectaturque rebus secundum humanas rationes sumptas ex creaturis, rebûsque temporalibus; vti est iudicare, rem talem faciendam esse propter utilitatem, & commoditatem temporalem, vel non esse faciendam, eò quod noceat sanitati, aut honori, aut rei familiari; sed oportere talem consensum situm esse in ratione, & portione superiore; quæ licet eadem intellectûs, voluntatisque facultas, ac potentia sit, diuersum tamen officium habet. Nam ad illam pertinet intueri res æternas, consultare eas, iudicare, & deliberare secundum ipsas; vt quando indicat, rem talem faciendam esse, quia præcipitur in lege Dei, vel quia sic virtus, rectaque ratio requirit; aut rem talem non esse faciendam, quia viciû, & peccatum

est contra diuinam, humanamque legem, vel quia bono animæ non conuenit: Omnia hæc iudicia in superiore ratione sita sunt, quia omnis virtus, & omne peccatum, ad animæ bonum, malumue spectans, pertinet ad alteram vitam, quæ æterna est, vbi bonum remunerandum est, & malum puniendum; & quia in omni virtute aliquid ex lege Dei desumptum reperitur. Ad hanc rationem, quæ iudicat secundum regulas æternas, pertinet hic consensus in peccatum mortale propter causam, quam diximus, quia ad deliberationem necessarium est, vt aliqua præcedat consideratio, quâ credat, vel timeat, nequod in eo, quod vult facere, viciū insit; quia item consensus deliberatus, cum sit vltima de illo, quod faciendum, omittendumue est, sententia, ad supremum animæ iudicem, quæ est ratio superior, pertinet. Neque solum verè dicitur homo per superiorem rationem, & secundum regulas æternas iudicare, quando expressè, ac

deter-

de
se
iuc
ear
neg
affe
tin
qua
tum
gen
tali
ctus
con
mul
gen
van
ctus
mer
non
inte
plen
sens
a
D. 7
tit. 3

determinatè secundùm illas iudicat; sed etiam quando valde benè potuit iudicare, & resistere vicijs secundùm eam, idque cum teneretur facere, suâ negligentia, aut ex inordinato aliquo affectu non fecit; quemadmodum contingit in omnibus peccatis mortalibus, quæ ex ignorantia culpabili committuntur. *a* Per huius veritatis intelligentiam excusabimus à peccato mortali multos motus, sensusque intellectus, & voluntatis contra Deum, & contra Fidem, & contra proximum; multos item in parte sensitivâ insurgentes, superbiæ, iræ, odij, invidia, vanæ gloriæ, luxuriæ, avaritiæ, & actus quosdam repentinos sensuum; ac membrorum exteriorum, in quibus non fuit, nec potuit esse hæc plena, & integra deliberatio rationis, neque hic plenus, perfectusque voluntatis consensus. Atque hoc requirit suavissima

C 3 Dei

*a. D. Bern. ad Fratres de monte Dei.
D. Th. 1. 2. q. 74. art. 7. D. Antonin. p. 1.
tit. 3. cap. 9. §. 3.*

Dei lex, amor ineffabilis, quo nos prosequitur, & immensum, quod habet, salutis nostræ desiderium, vt non iudicemus peccatum æternâ damnatione dignum illud, in quo deliberatus, quem declarauimus, consensus deest.

Ostenditur, totam, quæ in peccato est, malitiam homini, eiusque libero arbitrio, & non Deo, nec diuina illius voluntati attribuendam, &c.

C A P. V.

VNa ex rebus, quas sacræ litteræ, ac naturalis lex de Deo docent, est, nec peccare eum, nec posse peccare, neque velle peccatum, neque posse illud velle, neque peccati authorem esse, neque esse posse. Sic David dicit cum Deo loquens; *a Non Deus volens, nec approbans iniquitatem tu es.* Et in libro Iob Eliu naturali lege doctus, & in hoc à Spiritu Sancto illuminatus, *b abest, inquit, à Deo impietas, & ab omni potente iniquitas.* Omnia enim opera, quæ

a Ps. 5. 5. b Iob 34. 10.